

c) solus intellectus immaterialis et spiritualis agit circa objecta abstracta a sua materialitate, et exuta conditionibus suis concretis et individuis.

### Propositio 62.

**Animae brutorum omnium sunt materiae suae condivisibiles, aliorum quidem ita ut post divisionem perseverent, aliorum ita ut divisione pereant.**

**Stat. quaest.** 1° Animam brutorum non esse divisibilem in *partes constituentes* patet, quum ipsa sit forma, non jam constans ex materia et forma.

2° Sed quaeritur utrum in *partes integrantes* sit divisibilis.

3° Tres sententiae : a) recentiorum multorum : omnes animas beluinas esse simplices et indivisibiles; b) antiquorum peripateticorum : animas brutorum imperfectiorum esse divisibiles, perfectiorum non; c) Scoti, Suarez, Tolet, et peripateticorum aliquorum : omnes esse divisibiles.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars (omnes divisibiles).** 1° Omnis anima beluina pendet in existendo a materia extensa ut extensa; a. quod ita pendet a materia ut extensa, est ipsum extensum, et proinde divisibile; e.

**Prob. maj. (a materia ut extensa).** Secus nullum necessario supponeret organismum; a. supponit necessario organismum, i. e. corpus cujus sint variae partes varie exstructae ad varias operationes aptatae; e.

**Prob. min. 1)** Quod pendet in suo esse a materia ut extensa, pendet quod totum a pluribus partibus; e. habet partes correspondentes materiae extensae; e. coextenditur.

2) Quod pendet in toto suo esse a materia ut extensa, ejus esse sequitur omnino extensionem materiae, ita ut ubi alia est extensio materiae, ibi alia pars quae in esse a materia pendet; e. coextenditur.

**Prob. 2°** Si anima beluina non esset extensa, esset tota in toto et tota in singulis partibus; a. non ita est; e.

**Prob. min.** Anima beluina, utpote non in se subsistens, pendet essentialiter ab eo quod informat, et proinde penderet tota v. c. a pede et tota a capite a. non ita est (nam pereunte pede, non necessario et ipso facto tota perit); e.

**Prob. 2<sup>a</sup> pars (inferiorum perseverant).** Sunt alia animalia quae per se dividuntur ita ut singulae partes iterum ut integra animalia vivant; alia quorum partes non per se, sed ab alio, separatae vivere pergunt; a. haec explicari nequeunt dicendo illam esse eorum generationem naturalem, vel novam animam produci sponte, vel per creationem; e.

**Prob. min. 1 part. (generationem).** Pleraque habent praeterea generationem proprie dictam sexualem.

**Prob. min. 2 part. (novam sponte).** In parte abscissa manet anima aut non; a. si manet, dividitur, et habemus quod volumus; si non manet, pars est complete mortua, nec potest in se producere vitam, nec potest dici ex potentia hujus materiae, cadavericae, educi novam formam substantialem vitalem, cadavere superiorem, sine causa efficiente sufficiente assignabili!

**Prob. min. 3 part. (novam creatione).** a) Animae beluinae non creantur (cfr. infra); — b) si sunt partes aequales (v. c. in organismis inferioribus, satis homogeneis ut partes dimidiae possint esse vere aequales, etiam perfectione), nulla est ratio cur in hac potius quam in illa conservetur vel pereat, et sit alia creanda anima; — c) immediatus Dei creantis interventus non est admitendus nisi sit necessarius; a. hic necessarius non est; e.

**Prob. 3<sup>a</sup> pars (superiorum non perseverant).** 1° Teste experientia, partes abscissae moriuntur; imo et ipsa animalia divisione moriuntur; a. anima beluina non est in se subsistens; e.

**Prob. 2°** Ratio ontologica divisibilitatis aliorum est uniformitas organismi; a. haec in superioribus non adest; e.

**Ad maj.** Inferiora seu imperfecta vocantur animalia, non quasi illis aliquid ad propriam naturalem vitam deficeret, sunt enim perfecte apta ad eam, sed quia minus complicationis et multipliciter in organismo et organis habent; unde organismus magis uniformis et homogeneus per totum corpus est; ac proinde divisum corpus necessaria sibi multipliciter non caret.

**Coroll.** Ergo anima potest concipi tota praesens in toto corpore et in qualibet parte :

1. *totalitate identitatis*, seu essentiali, quae exurgit ex compositione ex genere et specifica differentia; secundum quam totalitatem omnis forma, etiam mineralis et vegetativa et sensitiva, est tota in toto et tota in qualibet parte;

2. *totalitate potentiae*, qua in singulis partibus tantum operari possit, quantum in aliis partibus et quantum in toto; secundum quam totalitatem, nulla forma, ne spiritualis quidem hominis, est tota in toto corpore et tota in qualibet parte;

3. *totalitate quantitatis*, qua in toto et in singulis partibus tota quantitas animae existat; secundum quam totalitatem :

a) non possunt formae indivisibiles corpori inesse, quia partes quantitativas non habent, nec proinde nisi improprie dici possunt *totae*;

b) nec possunt formae divisibiles corpori inesse, quia partes earum extensionis adaptantur partibus extensi corporis, nec proinde sunt totae in singulis partibus. — Et hoc ultimum esse de formis etiam sensitivis dicendum affirmabat praesens propositio.

**Objic. 1°** Ex dependentia in actione, non sequitur dependentia in esse. — R. d. ex dependentia indirecta, c; ex directa, sd. et partiali, c; et totali, n.

**Objic. 2°** Quod dependet ab alio, est eo inferius et imperfectius; e. anima bruti esset inferior corpore. — R. d. ant. quod dependet ut a regente se, c; quod... ut a serviente sibi, vel ut a suo subjecto perficiendo et determinando, n.

**Objic. 3°** Non cognoscimus omnes operationes brutorum; e. non possumus concludere. — R. d. ant. in esse individuali, c; in esse generico, n.

**Objic. 4°** Principium vitale se habet per modum vis; a. omnis vis est

simplex; *e.* — R. *d. maj.* per modum vis, *n*; per modum principii virium, *e.* — *d. min.* vis est simplex simplicitate entitatis, *c*; simplicitate quantitatis, saltem ratione subjecti, *n*.

**Objic. 5°** Caput moritur si cor occiditur; *e.* anima capitis pendet a toto, et est tota simplex. — R. *d. cons.* pendet directe... *n*; indirecte ut a conditione, *c*.

**Objic. 6°** Brutum percipit objectum materiale ut unum; *a.* hoc non posset nisi principium esset simplex; *e.* — R. *c. maj.* — *d. min.* nisi... simplex, *n*; nisi unum, et quidem unum per se, *c*.

**Prob. min.** Perceptionem eandem nequit habere nisi idem subjectum. — R. *d.* nisi idem subjectum unum per se, licet in variis partibus affectum, *c*; idem subjectum simplex, *n*. (non singulae partes seu organa sunt subjecta plura quae percipiant, sed totum animal, unum per se, est subjectum quod variis suis partibus percipit simul varia objecta in unam sensationem colligenda per sensum communem).

## ARTICULUS 2.

*De ortu et interitu animae beluinae.*

### Propositio 63.

**Animae beluinae non creantur, sed generatione producuntur.**

**Stat. quaest. 1°** Non agitur de prima productione primorum animalium, sed de modo quo nunc producuntur nova animalia in mundo.

2° Dicimus principium vitale animantium brutorum *generatione produci*, non *generari*; nam generatur totum compositum, non anima simpliciter; sed in illo toto termino generato, animam generatione produci affirmamus.

3° Tongiorgi dicit animam beluinam creari, quia eam esse simplicem et indivisibilem dixit; Palmieri, quia eam esse dicit substantiam completam in ratione substantiae, incompletam in ratione naturae, quae cum corpore in unitatem naturae et hypostasis uniatur.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars** (*non creantur*). Creatio est productio rei ex nihilo sui et subjecti; *a.* anima beluina non producitur ex nihilo subjecti; *e.*

**Prob. min.** Pendet a materia non solum dum est, sed etiam dum fit; *a.* quod pendet in suo fieri a materia, producitur non simpliciter ex nihilo, sed e potentialitate materiae; *e.*

**ad min.** Illud a quo anima natura sua dependet ut fiat, concurrat tanquam aliqua causa, saltem per potentiam passivam; *e.*

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*sed generatione*). 1° Haec productio per veram, stricte dictam generationem, 1) nullam involvit oppositionem cum viribus rei creatae; 2) involvit maximam convenientiam cum natura viventium; *e.*

**Ad antec. 1 part.** *Rei creatae repugnat* solum cum independentia quoad terminum passivum agere; *a.* productio animae per generationem non est actio independens quoad terminum (nam pendet a materia ut subjecto ex quo educatur); *e.* haec non repugnat viribus rei creatae, qua talis.

**Ad 2 part.** *Naturae viventis convenit* ut ipsum sibi vitam et esse conservet propria actione, ac proinde aliquo modo sibi ratio sufficiens vivendi et essendi sit; *a.* quod sibi ipsi ratio sufficiens est vivendi et essendi, hoc potest, a pari, alteri ratio sufficiens essendi et vivendi esse, seu potest vitae principium in alio producere; *e.* haec productio non repugnat naturae viventis, qua talis.

**Prob. 2°** Admittenda certe est in brutis aggeneratio novarum partium; *a.* si brutum potest producere novam partem vivam, a) jam nulla est repugnancia absoluta producendi novum individuum vivens; b) imo concludendum est ita reapse fieri; *e.*

**Ad min. a)** Confer simile argumentum de plantis, prop. 14.

**Ad min. b)** Propagatio per generationem omnino alio modo fit ac per solam aggenerationem et divisionem, et in nonnullis utraque invenitur.

**Schol.** De aliis quaestionibus :

- 1) quomodo vivificentur nova individua;
- 2) quando incipiat existere novum principium vitale;
- 3) quale tunc ab initio sit hoc principium;
- 4) quomodo prima individua singularum specierum olim oriri potuerint; similes sint iis solutiones quae de plantis supra datae sunt.

### Propositio 64.

**Anima beluina est natura sua mortalis, et pereunte animali existere desinit.**

**Notiones. 1.** *Mortale* est quod potest vel debet mori. Hic de anima beluina utrumque ex ejus natura affirmamus.

2. *Interit* quod cessat esse; sed hoc varie fit, nam interit :

annihilatione, — id cujus nihil remanet, seu cujus subducitur plena ratio essendi.

corruptione — (latiori sensu) : id quod dissolvitur in partes suas, sive partes omnes perseverent, sive aliquae solutione pereant; — (strictiori sensu) : id quod dissolvitur et in deterius vertitur.

{ per se — — quod in se attingitur.

{ per accidens : quod ratione alterius, non in se, attingitur; et hoc proprie dicitur *desinere*.

**Prob. 1<sup>a</sup> pars** (*mortalis*). 1° Anima beluina pendet in suo esse et existere a corpore apto; *a.* morte animalis cessat subjectum informationis aptum; *e.*

**Prob. 2°** Natura sua morti obnoxium est, quod, dissoluta alia re sibi conjuncta, destituitur omni operatione, et est sine fine intrinseco; *a.* destructo corpore, anima beluina nullam habet operationem, nec finem intrinsecum; *e.*

**Prob. 2<sup>a</sup> pars** (*desinit*). Aliter anima interire nequit dici nisi aut annihilatione, aut corruptione per se, aut desitione; *a.* nec 1<sup>m</sup> nec 2<sup>m</sup>; *e.* 3<sup>m</sup>.

*Ad min. 1 part. (non annihilatione).* Id solum annihilatur, quod ita destruitur ut nihil ejus remaneat, sed totum ejus esse deficiat; *a.* animae beluinae remanet materia, subjectum, et quidem non nudum sed ita dispositum sicut anima desinens illud reliquit, i. e. manet vestigium essenziale animae; *e.*

*Ad min. 2 part. (non corruptione per se).* 1) Anima brutorum attingi in se nequit, sed solum ratione corporis informati; *e.*

2) Corrumpti, seu ad non esse reduci illud solum potest, quod proprium esse habet: *a.* anima brutorum non proprium esse habet, sed tantum esse dependens a materia; *e.* per hoc solum forma desinit, quod materia aliam formam incipit habere, quacum prior forma stare non potest; *e.*

**Objic. 1°** Ratio mortis animae est quod non potest sine corpore operari, et hinc caret fine interno; *e.* mortalis est non natura sua, sed per accidens.— *R. c. ant.— n. cons.* (natura respondet fini, et operationi *totali*).

**Objic. 2°** Omnia creata natura sua interire possunt; *e.* non probandum de anima bruti.— *R. d. ant.* non habent in se rationem sufficientem conservationis, *c;* non aliqua saltem requirunt ex natura sua ut conserventur in esse, *n.*

**Objic. 3°** Materia est nihil animae, i. e. nulla pars animae, sed pars bruti, compars animae; *e.* si tota anima perit, annihilatur.— *R. d. ant.* materia ut sic..., *c;* ut fulcrum formae, *n.*

**Coroll. 1<sup>m</sup>** Ex dictis de natura animae brutorum, deque ejus ortu et interitu, apparet quid dicendum de modo quo fiat iste interitus: corrumpitur scilicet vivens sicut in cosmologia corrumpi vidimus mineralia; non subito, in instante indivisibili, nova forma stat loco prioris formae, sed paulatim motu continuo alterationis ab uno termino (statu vitae et sanitatis) ad alium terminum (statum dissolutionis completae in elementa mineralia) transit materia; qui motus continuus vocari jure potest *forma cadaverica*, participans adhuc de vita sensitiva, deinde jam non nisi de vegetativa, deinde jam de sola constitutione chemica organicae materiae; simulque participans jam magis ac magis de statu et proprietatibus materiae inertis ac tandem solius mineralis.

**Coroll. 2<sup>m</sup>** Ex his etiam apparet quid sentiendum de modo explicandi *phaenomena motuum*. quos recentiores *reflexos* vocant, in corporibus post mortem ut aiunt; itemque phaenomena continuatae aliquandiu vegetalis excretionis, v. c. pilorum, unguium, etc. Sunt enim illi motus et actiones *vitales*, quamdiu vere existunt, et signum sunt vitam tunc nondum penitus extinctam esse, sed vitae jam paulatim magis deficientis manere dispositionem in materia. Quamdiu scilicet materia haec sensationem manifestat, tamdiu sentit, v. c. rana capite truncata, vel aliud quodcumque cadaver; et quamdiu vegetationis actus manifestat et exercet, tamdiu vegetat; mortaliter quidem saucia vel aegrotans, multum jam profecta in motu mortis, seu formam cavavericam habens, non plenam et sanam amplius vitam.

## INDEX.

## LIBER III. — COSMOLOGIA.

PROOEMIUM . . . . .	1
<i>Prop. 1.</i> Corpus naturale est substantia naturaliter quanta, seu per partes diffusa, seu realiter composita . . . . .	3
<b>CAPUT I. — De phaenomenis mundanis . . . . .</b>	4
<b>SECTIO 1. DE QUANTITATE MUNDANA . . . . .</b>	5
<b>QUAESTIO 1. DE EXISTENTIA QUANTITATIS . . . . .</b>	<i>ib.</i>
<i>Prop. 2.</i> Admittenda est in rerum natura existentia quantitatis. . . . .	<i>ib.</i>
<i>Prop. 3.</i> ...et veri continui . . . . .	7
<i>Prop. 4.</i> ...et continui non virtualis sed formalis . . . . .	11
<b>QUAESTIO 2. DE ANALYSI QUANTITATIS CONTINUAE . . . . .</b>	13
<b>ARTICULUS 1. De partibus in continuo . . . . .</b>	<i>ib.</i>
<i>Prop. 5.</i> Partes in continuo materialiter spectatae actu distinguuntur, formaliter spectatae non distinguuntur actu sed potentia . . . . .	<i>ib.</i>
<i>Prop. 6.</i> Continuum non constat solis indivisibilibus mathematicis . . . . .	15
<i>Prop. 7.</i> Continuum mathematice consideratum est divisibile in infinitum . . . . .	17
<i>Prop. 8.</i> Non videtur neganda continui etiam physice considerati divisibilitas in infinitum . . . . .	18
<b>ARTICULUS 2. De indivisibilibus limitibus in continuo . . . . .</b>	20
<i>Prop. 9.</i> Id quod in continuo indivisibile vocamus, est ens verum et reale, non verum merum figmentum mentis, vel mera negatio . . . . .	<i>ib.</i>
<i>Prop. 10.</i> In continuo indivisibilia continuantia formaliter sumpta non sunt nisi in potentia . . . . .	21
<i>Prop. 11.</i> Indivisibilia terminantia, formaliter sumpta, sunt actu in continuo: nec distinguuntur ab ipsius continui entitate nisi connotata negatione ulterioris extensionis . . . . .	22
<b>QUAESTIO 3. DE NATURA QUANTITATIS PHYSICAE . . . . .</b>	24